ENGELBERTUS ADMONTENSIS
Klosterneuburg, 1384 Seite 107v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ab hereticis et iudeis et eorum sequacibus ex falso
et perverso dogmate quod tangit hic. Narraverunt
mihi iniqui, id est heretici et iudei et philosophi mundi
fabulationes, id est falsa et perversa dogmata. Secundo
incommodum quod patitur a tyrannis et malis hominibus
in continua persecutione, id est iniqui persecuti
sunt me etc. Tertio incommodum quod patitur ab illis et
ab istis communiter in electorum diminutione et pau-
citate, id est paulominus consumaverunt me in terra.
Narraverunt mihi iniqui fa. etc. Cum tres sint
fabulatores, scilicet heretici, iudei et philosophi mundi, isti
tripliciter non proponunt sed narrant non sententias sed fa-
bulas suas contra veritatem et pietatem et utili-
tatem fidei christiane. Quia philosophi mundi ex ratione
humana que in se rerum veritatis deficit. Iudei vero
ex lege tradita que in se sine gratia non proficit.
Heretici ex lege evangelica quam Christus non superbis
sed humilibus aperit non veritatis hystorias sed
falsitatis fabulas fingunt ad invicem diver-
sas per errorem adversas per contradictionem perversas
per impietatem contra fidei unitatem que non recipit
diversitatem contra fidei simplicitatem que non
implicat multiplicitatem et contra fidei pieta-
tem que nullam continet perversitatem et propter hoc ad insi-
nuandum quod ipsorum persuasiones peccant in
materia prime veritatis et in forma ecclesiastice
sobrietatis quod dicit Ieronimus quod ex verbis inordinate
platis incurritur heresis. Ideo valde proprie dicit
quod predicti iniqui non proponunt quasi sententias sed nar-
rant fabulas, unde fabulationes quod nomen
descendit a verbo frequentativo ad insinuan-
dum in verbis hereticorum et infidelium garrulitatem
multiloquii. Ecclesiastici xix. In multiloquio
non deerit peccatum. Item falsitatem vaniloquii.
Psalmus. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum
suum. Item impietatem stultiloquii. Psalmus qui

loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.
Heretici quidem per verba legis legem impugnant per-
verse interpretando sicut dicit glossa super illud ad Titum i.
Hereticum hominem post primam correptionem de vita et
iudei per opera legis gratie preiudicant solis operibus
et litere intendo ad Galatas iii. Non iustificatur homo
ex operibus legis sed per fidem Ihesu Christi philosophi mundi
humanam inventionem divine revelationem prehonorant
solis humanis rationibus assentiendo. Psalmus. De-
fecerunt scrutantes scrutinio etc. Fabula quidem
non est narratio facta vel facti sed ficta vel ficti. In
omni autem fabula tria concurrunt, scilicet ficcio vel delectatio
et deceptio. In omni autem re ad usum aliquem exquisita
tria requiruntur, scilicet existentia apparentia et effi-
ciencia. Existentia quidem ad ipsius rei esse et stat
apparentia quidem ad eius sensum vel intellectum.
Efficiencia quidem ad usum et fructum. Ab exis-
tentia enim resultat veritas [illegible] ab effi-
ciencia bonitas et finis et effectus, ab appa-
rentia veritas intellectus. In fabula itaque et usu
exquisito in ipsa et ipsius existentia nichil in-
venitur in re nisi vana ficcio quidem ad apparentiam
nichil relinquitur ex ea in mente nisi falsa delectatio
quidem ad efficienciam nichil percipitur ex ipsa in fine et
in fructu vero noxia deceptio. Hec igitur tria scilicet
vanam ficcionem falsam delectationem et noxiam deceptionem
sufficienter habet in se omnis fabulatio hereticorum
et infidelium. De primo videlicet de vana ficcione
nota quod ficcio dicitur et est similitudo factio in quo
includitur quedam apparentia. Vanitas vero dicitur
quasi actuata veritas unde vanum quasi veritate vacuum
in quo includitur non existentia. Fabule igitur
predicte non habent existentiam per se apparentiam vero
ipsi fabulatores faciunt et proponunt et hec tripliciter
primo verborum significationes simplices equi-
vocando et multiplicando sicut rationem